



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

33. De missione ad Herodem & remissione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

nos ori tuo rectos, & attende ne labaris lingua.
Aurum & argentum sunt virtutes tum affectûs,
tum intellectûs : hæ omnes sunt necessariae ad
rectè loquendum : *Si quis in verbo, non offen-*
dit is perfectus est vir, omni virtute ornatus.

Iac. 3 2.

MEDITATIO XXXIII.

Mittitur ad Herodem, à quo illusus re-
mittitur ad Pilatum.

PUNCTUM PRIMUM.

VRgentibus Pharisæis quòd commovisset u-
niversam Judæam, incipiens à Galilæa: in-
deque intelligens Pilatus, quòd Galilæus esset, &
de Herodis potestate, remisit Christum ad He-
rodem, qui & ipse tunc erat Ierosolymis. En,
quomodo labores, & peregrinationes Christi,
qui bene faciendo & sanando omnes oppressos à
diabolo, pertransierat Galilæam & Judæam, pro-
feditiosissimo mortalium habetur. Et ecce, jam
tertiò per plateas Jerusalem rapitur ad tribuna-
lia, & tunc quidem ad Regis incestuosi, qui fra-
tris viventis uxorem dixerat, & beatum Joan-
nem Baptistam decollaverat.

Luc. 23.
25.Mat. 10.
37.Marc. 6.
17. 27.

PUNCTUM II.

EXcipitur Christus ab Herode humaniter,
spe videndi aliquod miraculum ab eo fieri:
sed Christus detestatus est illius scelera : nec
curiositati servire voluit, & optatam sibi mor-
tem

tem noluit impedire. Imò tacuit nihil respondens, quamvis starent sacerdotes & scriba constanter accusantes eum.

PUNCTUM III.

Spernit Christum Herodes cum exercitu suo, & illuse inducitur veste alba, & remisit ad Pilatum, & facti sunt amici. 1. Quod non responderet quidquam, habitus est pro stolido, quodque ex stultitia faceret se Regem, quare illusus est veste alba, quæ Cæsares utebantur. Exagitatus etiam est dieterijs & pulsatus. Et erat is æterna sapientia: sic medebatur meæ superbix. Contingat mihi pro Christo ornari iisdem insignibus. 2. Qua irrisione per vias est reductus! Deridetur *Justi simplicitas*. *Lampæ* contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. 3. Aucta & renovata confusio apud Pilatum, cum in ea veste comparuit, ministris quoque illius fabulam promoventibus. Ego autem affecto videri sapiens: *si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens: sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum*. 4. Alba vestis innocentiam Christi designat, cui à mundo illuditur. Optem illam consequi, licet foris humilior & vexer, sicut Sponsa, quæ ait: *Nigra sum, sed formosa*: gloria ejus abintus, foris autem obscura & afflicta. 5. Facti sunt amici per hanc Christi vexationem: scilicet ejus passio unire debebat utrumque populum in unam Ecclesi-

Luc. 23

11.

1.

2.

1ob. 12. 5.

3.

1. Cor. 3.

18.

4.

Cant. 13.

5.

am, Judæos, & Gentiles. Nota etiam, quomodo valet ad conciliandos animos deferre alteri: nam eò quòd remisit quasi subditum ad Herodem, conciliati sunt: sed & in illis verificatur: *Astiterunt Reges terra & Principes, convenerunt in unum adversus Dominum; & adversus Christum ejus; sed Qui habitat in caelis, irridebit eos.*

Ps. 2. 2.

MEDITATIO XXXIV.

Christus Barrabæ postponitur.

PUNCTUM PRIMUM.

Compo-
nitur cū
Barrabæ.

Barrabæ
postpo-
nitur à
Sacerdo-
tibus.

CUm propter solennitatem Paschatis soleret populo donari unus ex vincētis ob aliquod maleficium, excogitavit Pilatus hac ratione se posse liberare Christum quem innocentem judicabat: quod ut certius obtineret, elegit perditissimum latronem, homicidij, & seditionis reum, quem cum Christo proponeret; fore evidens ut potius Christum, quam tam sceleratum hominem populus liberari peteret. Sed imprimis hæc ipsa comparatio Christi & latronis, ad insignem Christi ignominiam cedebat. Deinde, cū populus proclivis esset ad id quod erat rationabilius, princeps Sacerdotum & seniores persuaserunt populis, ut peterent *Barrabam*: *Jesum verò perderent*, videlicet calumniosè contendendo, quod peior, & perniciosior esset ipso latrone: Quod intuens Christus dole-